

DIPLOMA CVPIDINIS
FLORENTISSIMIS SPONSIS
FRIDERICO SCHROEDERO
 ET
CATHARINÆ BENIGNÆ
NATÆ WILLERIÆ
PRO SALVTE ET INCREMENTO
GENERIS HVMANI
IMPERTITVM



DEORVM DECRETO
FRONTIBVS
TORI FANIQVE VENERIS
AFFIXIT
PAVLVS PATER

THORVNII
E CHALCGRAPHIA GYMNASII
ANNO M DC XCIII

97



Vm iterum Cupidinis vestibulo ad fa-
ni fores incumberem, & quonam dicendi ge-
nere, novum sponsorum par compellarem, in mul-
tam noctem meditarer, nescio quis sopor lumina
mihi clausit. illico mirum atque inscitum somni-
avi somnium: Phœbum nimirum musarum prin-
cipem, & planetarum omnium regem videbar
gravissime apud Iovem accusari, perperam quod hæcenus rempublicam
literariam administrasset: quod Dianæ in silvis, quam Minervæ in scho-
lis fidum magis socium se addixerit: quod vascula, ollas, & medicorum
pyxides, radices item & herbarum flores, omne genus, ceu ipse gloria-
tur apud poetam: *Inventum medicina meum est, opifexque per orbem dicor.*
Et herbarum subiecta potentia nobis, sectatus potius, commissam sibi cœli
terræque sphaeram, tot in circulos minores, maiores, maximosque de-
scriptam, tot in orbis tributam, obversis hinc atque illinc verticibus, a-
xe intercurrente, orbe finiente intersectam in medio, transversa zona,
velut fascia, ab ipso Iove circumvestitam, ceu rem puerilem, insuper ha-
buerit: quod alumnos & clientes suos, a paupertatis iniuria serviliter
pressos, vindicaverit nunquam, ut potior iam eorum pars, inter acerbis-
simas contumelias, extrema rerum inedia, animam proiecerit, gemebun-
daqve spiritum effuderit, & plura alia, quæ tacitus pudor protrudere
vetat. Stomachabatur secum, & vehementer commotus erat Iupiter,
Phœbumque ad inferos abripiendum edicto sancivit. Intercesserat Mer-
curius apud divum hominumque patrem, Phœbiq; patrocinium in se re-
cepit, causam prætexendo, quam superioribus proxime diebus altissime
in Parnasso ventilavit Christophorus Wagenfeilius, polyhistor & iuris-
consultus Altdorfinus. videlicet hanc doctorum calamitatem priscae Iu-
dæorum nationi imputandam esse, ut quæ solenni ieiunio, anniversari-
isque precibus divinam convenerat providentiam, oravitque, ut sapien-
tiæ antistites divitiæ semper odio haberent, **NE VNQVAM DITE-
SCERENT**: experimento quippe didicerat, ubi auri fulgor eo-
rum mentibus semel obversatus fuerit, admiratione divitiarum abre-
pti, & fœnori unice intenti, neque Thoram neque Mischnam de indu-
stria eos scrutari, nec Sabbatica in panegyri divina oracula, cum audito-
rii fructu, recte atque ordine interpretando evolvere. Movebant effi-
cacissimæ in hunc usque diem Iudæorum preces subiratum Deum, ut
sola capitis diminutione, in ultimas terrarum oras si deportaretur Phœ-
bus, contentus foret. Ita ergo divinitate exutus, cœloque proscriptus,
novus hic orbis incola, & una litera plus quam *medicus*, circumibat re-
gum & principum aulas, sed cum regia mathematicum studia turpiter
antea neglexisset, & solam paupertatis & esuritionis magistram poesin
calleret, inde regii pecoris magistro, Ægoni an Melibæo? operam suam
addi.

addicere necessum habuit, factusque ex poetarum rege rusticanus bub-
sequa ronchansque caprimulgus. Commodum me aliquando per cam-
pos Elysios Mercurius deduxit, ibi ego upilionem nostrum, arietes in et
& hircos, annosa prolixaque barba, vel cum ipso Platone de principatu
concertantes, conspexi, qui cum arcum & citharam, solum ex tanto re-
rum divinarum apparatu haberet residua, mirari primum subibat, quis
Deus, aut quis ventus, decantatam tantopere a poetis suis lauream, ca-
piti eius summovisset. mox tamen ex dumetis cornibus prominentes
vidi arietes bovesque laureatos, quod idem etiam privilegium adhuc-
num laureatos obtinere asinos audivi. Interea, dum fidum pastorem se
præstat, lupos ferasque a gregis incursum strenue arcet, Mercurium arcere
non potuit, quin citharam & plestra furto eidem subduceret, quæ in
Parnasso post venum exposuit, sed præter prædicitas & ludimagistros
aliquot, pauci reperti sunt qui licerentur. Pollicitus emptorem me e-
ram, ubi periculum prius fecero, quæ adhuc residua divina vis foret, ad
Pegaseium melos aliquod Hymenæo decantandum, & ita feliciter nego-
tium cesserat, ut horæ spatio ducentos lambos, non ita malos, effude-
rim, sed cum uno claudicaret pede, ne sinistro augurio, ne nympho-
rum quoque claudicaret felicitas, quicquid erat iterum expunxi. Adhuc
mercabatur ex dodrante besis solidi unius Mercurius, cum Menippus
Parnassi fores impeteret, graviter baiulans, grandes aliquot codices, ex
Phœbi supellectile, vetustate admodum attritos, Iovis iussu subhastan-
dos. Erat iis a tergo hæc nomenclatura indita: **LOCI COMMUNES,**
ADVERSARIA, COLLECTANEA, POLYANTEA, FLORES,
FLORIDA, FLORILEGIA, & qui omnium pondus superabat, bar-
barum titulum **VADE MECUM** in fronte deferebat. Vix præconi-
um fecerat Menippus, & horum ope, de quocumque proposito argu-
mento, expeditius dicendi materiam illic suppetere, alta voce pronun-
ciaverat, illico novelli oratores, parique poeta, tanquam ad congestum
studiosissime thesaurum advolabant. Nec mora, explicant laudatum
modo codicem, & mox in conspectum venerant, aurea scilicet hæc car-
mina: *o Hymen Hymenæe hymen, o hymen Hymenæe!* Itemque: *Primus a-*
mor Phœbi Daphne. cetera, quomodo ab amore infibulari se passus fue-
rit, nota sunt. Bene actum mecum videbatur, nisi qui latera defende-
rant, ingeniosissimi homines, trans Rhenum, Alpes, aut Pyrenæa iuga
nati, leve hoc scribendi genus, lippis notum & tonsoribus edixissent:
invidiam seculo facere, & memoriam ætatis nostræ onerare, qui a ma-
ioribus omnia iam occupata fore contenderent. Inde spretis veterum
traditis, novas inventiones physicas iuxta æ mathematicas, ab illis
neglectas, magis facere ad inclarescendum, nominisque gloriam aucu-
pendam, monebant. si nempe ingenioso schemate, quod nec viderit,
nec legerit nunquam, in admiratione sui, lector perpetuo retineatur.

Qvi-

Quibus auditis, emptores deterrebantur, & Menippus merces non novas iterum complanavit, forasque indignabundus hinc se proripuit. ad quod spectaculum, præ risa somno solutus eram. Nondum nox penitus decesserat, cum expergefactus cœlum & sidera contuerer, vario aspectu, neonymphis salutaria quæque vaticinantia! nec sine ominosa serie: quando & Magi, sive Persæ, sive Chaldæi, quorum ecclesia hodierna die celebrat memoriam, ad gentiliū redemptorem stella duce pervenerunt: & nobilissimus quoque sponsæ genitor, at quantus fautor meus! in gentilitio steramata stellarum trigam exhibeat. Frigidum proinde Saturnum non est quod extimescat sponsus, cum Venus, in cuius iam stat horoscopo, ad WILLERIAM ubi atcesserit, plus satis dabit incalescere. Iupiter salutare amantibus sidus, in Geminis nunc gradens, gemellos quoque vaticinatur, plane Ioviales, hoc est, virtute præditos, divites, hilares, formosos, honorabilesque. Horribilis pater Mars, humanum genus qui perdit magis, quam promovet, a coniugali fœdere hic prorsus excluditur. Luna humorum mater & domina, vel ob hoc diligenda, quod ad generationem conservationemque humidum maxime facere Homerus annuat. Cum Sole media semper via tutissimus ibit, qui Venerem comitem eius individuam, ex eodem centro descripserit, horis potissimum matutinis vespertinisque horizonta fulgore suo Iustrantem complementemque. Et quo pacto Solis comes alter Mercurius, mercium, alias & sapientiæ autor, ex oculis nostris, ut fere solet, evanuit? cum tamen sponsæ genitricis, scemina & pietatis, & omni in sermone affabilitatis claritudine, virtutumque, familiaris hactenus fuerit Deus. quem & sponsis precor propitium. Plura de sideribus, quomodo nunc sibi opponantur, nunc supponantur, nunc cum Iove, nunc cum Venere congregari, nunc retrocedere & resilere, velut tripudio amant, eodem modo dicturus eram, & forte aptiora prioribus, nisi primo statim diluculo in templo Cupidinis clangentis tubæ, citharæ, tibiæ, psalterii, & cuius non genialis symphoniam sonus exauditus fuisset. Mox foribus fani, quo nihil in vita vidi illustrius, celebrius nihil, mox referatis, ipse Cupido per libellorum supplicum magistrum, mihi Diploma, in causa filiaë celebris illius Notarii, qui tot aliis condiderat Diplomata, postulanti tradidit, signatum sigillo Deorum formosissimi, in quo mira species divinæ viraginis comparebat: frons tota Cupidinis thronus erat: oculi solis instar, superciliorum, velut arcuum ope, in corda amantium sagittas iaciebant: pilosæ genæ liliis condecoratæ videbantur: labra baccis quasi corallineis tinctæ, & crines catenarum pleni, amantium corda contracta tenebant: mollissima illa corporis pars, quam neonymphi in deliciis habent, cœlestis terrestrisque sphaeræ referebat figuram. Sed en ipsum cum Diplomate schema.

QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT REIPUBLICÆ AMATORIE! Cupido, iuxta cum cæteris Diis connubialibus, legentibus hæc, aut spectantibus edicunt, Caium FRIDERICVM SCHROEDERVM, cum domum duceret Caiam suam CATHARINAM BENIGNAM WILLERIAM, in facie Deorum solenni iureiurando se obstrinxisse, ad faciendum & præstandum quicquid ad illius personam, & res probe curandas pertinet: in prosperis pariter ac adversis socium illi ac indivisum comitem assuturum. Huius rei fideiussores ipsam matrem nostram Venerem Verticordiam, & Iunonem Cinxiam habuit, fidelissimas harum rerum antistites. Proinde iniungimus Caio nostro, lectam in lectum ducat, flammæum tollat, vestes, Charitum ritum, exuat, Lonam solvat, habeat, teneat, st! Atque ita rebus suis bene incumbat, ne Caia unquam in se residui competat actio: ad inferendum legale, citari se nunquam patiat, sed semper ad peremptoriam compareat citationem: ne in ruinationem totius causa tandem condemnetur. Tu quoque Caia, memento legis nostræ: Quæ mulier suum virum vult sibi obsequentem esse & diutinum, modice ac parce eius serviat cupiditatibus. Caveat serio uterque, ne quis contra bonam fidem peccet. Interim, dolo bono, Caiam circumvenire, eiqve imponere Romana lege licet. Secus qui fecerit, nos iratos semper habebit. Actum in pleno senatu populoque Deorum, Anno a patris matrisque nostræ connubio MMMMM DC XLII. Mense I.

Ad MANDATVM PLYSQVAM CÆSAREVM
subscripsit

OVIDIVS



&
CATVLLVS TIBVLLVS
PROPERTIVS.

100. 142931

K. fol. 2. ad. 194